



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vitæ D. N. Iesv Christi Monotessaron Evangelicum

Heser, Georg

Monachii, 1657

243. De correptione fraterna.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56533)

II. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & projice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. *Matth. 18. 6, 8.* ire in gehennam, in ignem inextinguibilem: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. *Marc. 9. 42. 43.*

III. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: bonum tibi est cum uno oculo luscum in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur. *Matth. 18. 6. 9. Marc. 9. 46. 47. 48.*

IV. Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. *Matth. 18. 6. 10.*

MEDITATIO CCXLIII.

Didagma XLIX. De correptione fraterna.

I. **S**I peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum.

si

D. N. IESU CHRISTI. 223

Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

Matth. 18. v. 15.

II. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum.

Matth. 18. v. 16.

III. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.

Matth. 18. v. 17.

MEDITATIO CCXLIV.

Didagma L. De castitate, quam suadet Christus.

I. **D**icunt Iesu discipuli ejus: Si ira est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.

Matth. 19. v. 10. & 11.

II. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus.

Matth. 19. v. 12.

III. Et sunt eunuchi, qui seipso castraverunt propter regnum caelorum. Qui potest capere, capiat.

Matth. 19. v. 12.